



*UNIVERSITY OF ILLINOIS*

13814

SOLLEMNIA

DISPUTATIONIS PUBLICAE

PRO

IMPETRANDIS MAGISTERII IURIBUS

DIE XXII. M. FEBRUARII MDCCCXXXIII

A

CAROLO VOLCMARE STOY

PEGAVIENSI

PH. DRB.

HABENDAE

INDICIT

CAROLUS GOETTLINGIUS

PRO DECANO H. T. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

---

In est:

(*Narratio de oraculo Trophonii.*)

---

IENAE

TYPIS SCHREIBERI.

347 80  
SCHILLER 30 VITACON

11/18/1981

*Boeotiam in Graecia peragrabibus atque Haliarto Parnassum petentibus  
Lebadia ad sinistram est, oppidum Trophonii oraculo inde a Croesi tempore  
ribus (Herodot 1, 46) usque ad Plutarchi (de defectu orac. 5) aevum, quo  
cetera omnia in Boeotia obmutuerant oracula, quam maxime nobilitatum.  
Aucta est autem eius oraculi gloria in primis eo quod Epaminondas, dux  
omnium Graecorum fortissimus, ante pugnam Leuctricam, Lacedaemoniis  
calamitosissimam, Thebanis suis animum fecerat responsione oraculi Tro-  
phonii (Diodor. Sic. XV. p. 369. Polyaen. II, 2, 8) quam praecepue eam ob  
causam quaevisse putandus est, quod Aristomenes Messenius, victor item  
Lacedaemoniorum, sed longe antiquior, scutum suum Trophonio vovisse  
dicebatur, visum illud etiam a Pausania (IX, 39. Cf. IV, 16, 4, 32, 5.). Erat  
autem Trophonii oraculum hoc:*

*Πειν δορι συμβαλέω ἔχθροῖς στήσασθε τρόπαιον  
Ασπίδα κοσμήσαντες ἐμήν, τὴν εἰσαπο νηφ  
Θοῦγος Ἀριστομένης Μεσσήνιος. αὐτὰρ ἔγώ τοι  
Ἀνδρῶν δυσμενέων φθίσω στρατὸν δοπιστάων.*

Arcessitus igitur Aristomenis clipeus est Lebadea atque exornatum tropaeum ante pugnam commissam, ut animus accenderetur Thebanorum. Postea quum monumentum erigerent Thebani in memoriam pugnae, clipeis et ara exornarunt, sine dubio in honorem clipei Aristomenis. Huius monumenti reliquias, felicissime nuper detectas ab Ulrichsio (v. *Kunstblatt*. 1840. p. 186.) ipse spectavi quam ante hoc triennium in Graecia peregrinabar. Supersunt ex clipeis rotundis quinque, triglyphi aliquot et ara cum inscriptione *ΑΛΕΞΙΩΝ* (i. e. Θεῶν). Videtur ipsa ara inclusa fuisse orbiculato muro clipeis, triglyphis et ianuis ornata.

Visitavi eodem tempore Lebadiam sitam inter Heliconem et Chaeroniam (Strabo IX. p. 285), ut si quid reliquum esset ex nobilissimo oraculo, Leuctrica pugna mirum in modum celebrato, investigarem. Dicam igitur primum de ipsius oraculi natura, deinde de iis, quae mihi invenire contigit.

*probatio in partibus quibus deponitur*

Trophonius qui dicitur non est diversus a Plutone seu deo inferorum; nam solleme ac plenum eius nomen est Juppiter Trophonius. V. *Liv. XLV.* 27. *Lebadiae quoque templum Jovis Trophonii adiit* (Paulus): *ibi quum vidisset os specus per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Jovi Hercynaeque facto, quorum ibi templum est cet.* *Strabo IX.* p. 285. Λεβάδεια δέ ἐστιν ὅπου Διὸς Τροφώνιον μαντείον ἔργνται χάσματος ὑπονόμου κατάβασιν ἔχον. Phot. L. p. 211. Λεβάδεια — ἐν γῇ Διὸς μαντείον Τροφώνιον κατασκευάσαντος. Quibus testimonii titulus accedit a me Lebadiae inventus, de quo post dixerim. Quemadmodum igitur Pluto Ζεὺς καταχθόνιος vel χθόνιος dicebatur ita et hic Ζεύς, et quidem Tροφώνιος propter opes, nutrimenta atque cetera adiumenta quae ex terrae visceribus procreantur hominibus. Huius dei uxoris Proserpinae Venatio (si recte habet Sylburgii lectio Κόρης καλονυμένη Θήρα pro qua Ulrichsius Κόρης καλονυμένης Ήρας; mihi tamen Proserpina Mortis dea Θήρα recte dici videtur, quemadmodum Mars ipse apud Lacedaemonios Θηρίας vel Θηρατάς colebatur) et templum τῷ Διὶ τῷ βασιλεῖ (Pausan. IX, 39, 3) consecratum non longe aberat a Trophonii aede (V. Paus. l. l.), ipsamque Proserpinam detexisse oraculum fama erat (Pausan. IX, 39, 2). Si praeterea ab Cicerone (de nat. deor. III, 22) et Arnobio (IV, 14) idem deus appellatur Mercurius pro Jove facile id explicatur ex eo munere quod Mercurio (τῷ χθονίῳ Έρμῃ) traditum in mythologia est eodemque pertinere videtur quod duo pueri, quibus Lebadiae sacrorum quorundam oraculi tradita cura erat, ἐρμαῖ appellabantur (Pausan. IX, 39, 4).

Hic igitur inferorum deo propter quatuor potissimum causas sacra Lebadiae fiebant, primum propter terrae fecunditatem, deinde propter medicas vires terrae, aquis quibusdam praesertim conspicuas, tum propter praesagitionis atque vaticinii virtutes, quas fontibus et subterraneis specubus inesse putabant Graeci, denique propter exspectationem sanctioris post mortem vitae apud inferos transigendae.

Ac terrae quidem fecunditatem, quam Trophonium (a τρέψειu necessere est ut nomen derives, quod in titulo antiquiori apud Boeckhium Corp. Inscr. I, p. 270. N. 1588. dicitur Τρεψώνιος) procreare putabant, praeter ipsum Trophonium indicabant templa Jovis Pluvii et Cereris Europae, vicina templo Trophonii in monte Laphystio; cur Europa dicta Ceres sit perspicitur ex Hesychii glossa: Εὐρώπη χώρα τῆς δύσεως ἡ σκοτεινή. Est enim et haec dea inferorum. Inprimis autem hoc spectant loci Euri-

pidis Ion. 308: Καρποῦ δὲ ἡπερ γῆς ἔμετε; et Pausaniae IX, 40, 1. οὐ γὰρ  
δῆ σφισιν ἔτος δεύτερον ὄντες κ. τ. ἐ.; medicas telluris vires ipse Tro-  
phonius, cuius statuam cum scipione et serpentibus Praxiteles tam similem  
Aesculapio exculpserat, vix ut ab hoc internoscerent homines (Pausanias  
l. l. τὰ ἐπιφανεστάτα ἐν τῷ ἀλσοὶ Τροφώνιον ναὸς καὶ ἄγαλμά ἔστιν, Ἀσκλη-  
πιοῦ καὶ τοῦτο εἰκασμένον. Πραξετέλης δὲ ἐποίησε τὸ ἄγαλμα.) Cf. Mueller.  
Orchom. p. 201. Eodem etiam pertinere videtur quod, quum Leuctrica  
pugna instante Trophonio sacrificaretur, galli gallinacei, aves Aesculapii,  
sic assidue cecinisse dicuntur, ut nihil intermiterent (Cicer. de divin.  
I, 34). Similis Trophonii statua erat ad pedes Laphystii montis in antro;  
unde fons cum vi magna prorumpit Τέρκυνα dictus, ipsiusque Hercynae sta-  
tua aderat ad modum Hygieae scipione cum serpentibus insignis. Her-  
cynae fons idem fuisse videtur qui τὸ Λίθης ὕδωρ a Pausania dicitur. Nam  
boeotica Styx Τέρκυνα sine dubio etiam boeotica dialecto est dicta pro Ορκυνα  
ut monebat Mueller. Orch. p. 155. (vel potius Ορκυνα ut Aeoles φύλωται  
pronunciabant), ut Τρεψώνιος pro Τροφώνιος, Έρχόμενος pro Ορχομενός, ἐρκάνη  
et δρκάνη, de quibus v. Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 770. Nam ut Styx, per  
quam iurabant dii, dicebatur ὅρκος θεῶν vel Ορκος (v. quae diximus ad  
Hesiodi Theog. 784) sic etiam haec Bœotica Styx Τέρκυνα vel Ορκυνα. Huius  
vocabuli vestigia, in Plinio habes (H. N. XXXI, 11). In Bœotia ad  
Trophonium deum iuxta flumen Orchomenon (l. Orcynam, Ulrichsius  
Hercynam corrigit) duo sunt fontes etc. Similiter Ceres Τέρκυνα dicitur  
apud Lycophr. 153. Hanc autem Hercynam inde ab eo loco quo fines sacros  
reliquit Προβασίαν dictam a Bœotis esse recte monuit Ulrichsius (Reisen u.  
Forschungen in Griechenland I. p. 174). Ab hoc fonte alius fons non  
longe aberat Μυημοσάνης ὕδωρ dictus virtutibus quibusdam medicis conspi-  
ciens. Vaticinio inserviebat locus extra urbem\*) in monte in modum furni  
seu potius sepulchri antiqui\*\*) excavatus. (σηκός dicitur ap Euripide Jon.  
300) ab architecto summae antiquitatis, Trophonio item dicto (Schol. Ari-  
stoph. Nubb. 508), quem in hoc ipso sepulchro mortuum esse fuerunt qui

\*) Recete ULRICHSIUS Reisen und Forschungen in Griechenland I. p. 170 similem fuisse putas  
thesauro sic dicto Mycenaeo. Sed melius erat sepulchrum dicere quam thesauros, quum his se-  
pulchris, si etiam pro thesauris usi sunt antiqui, opes immitebantur propterea ut tutores essent  
propter religionem.

\*\*) Apud Pausan. IX, 39, 2. pro διείργει δὲ ἀν' αὐτῆς [τῆς πόλεως] τὸ ἄλσος τοῦ Τρο-  
φώνιον legendum est διέχει δέ κ. τ. λ. Lacuna non est statuenda.

dicerent. In hunc (*καταβάσιον* dicebatur, secundum Suidam v. *Τροφόνεος*) sciscitantes scala demittebantur per angustum foramen mellitis offis praediti quas costodibus sacri serpentibus obiicerent (V. Schol. Aristoph. l. l. Suid. v. *Τροφόνιος*). Non prius autem immittebantur quam praeparati fuiasent per aliquot dies in domo Boni Genii et Fortunae Secundae, facto antea ad fo- veam sic dictam Agamedis sacrificio vervecis, ut fieri solebat *diis inferis* (Plut. de gen. Socr. p. 332, Tom. VIII, de def. or. 38.) et sumptis etiam ex Hercyna balneis hanstoque prius ex fonte Lethes potu, deinde ex Mnemosynes. Postea quae infra spectata a sciscitantibus erant et audita inscribebantur in tabula. Verum non sciscitabantur solum homines sed multi etiam initiati sunt rebus post morbum futuris, modo nobis incognito (V. Schol. Arist. Nubb. 508. *οἱ μυδέμενοι* — *μετὰ τὴν μύησιν*). Hoc tempore reliquias nobilissimi oraculi visuro Hercyna, nunc dicta χιλιά propter calorem (Leake Travels in Northern Greece II, p. 126, dicit τὰ γλυπτὰ νερά appellari) facilime agnoscitur, nec minus facile fons Mnemosynes ή κρά (i. e. fons frigidus), nunc prosiliens ex fundo ipsius χιλιᾶς prope ab eo saxo, quod in sinistra Hercynae ripa in antrum quadratum excavatum Ulrichsius habet pro cella *Ἄγαθοῦ Δαιμόνος* et *Ἄγαθῆς Τύχης*, memorata ab Pausania. Sed in hac cella nec ampla satis nec apta hominibus quibus per dies aliquot ibi habitandum erat, Fortunae domum ego neutiquam potui agnoscere; illa enim in monte fuisse idetur (V. Pausan. IX, 39, 5); haec autem cella, sicut multae aliae minores in eodem saxo exsculptae primo votiva erat, postea vero a Christianis imagine aut Virginis aut Sancti alicuius decorata cuius etiamnum vestigia supersunt. De his ita Brandisius V.D. (*Mittheilungen aus Griechenland* T. 1, p. 243) „*eine in den Fels gehauene Vorhalle mit altem Stuck von gelber und rother Faerbung bekleidet, worauf die Reste schoener Arabesken noch sichtbar.*“ Mihi nec antiquae nec pulchrae videbantur. Juxta hanc cellam antrum conspicitur, quod Ulrichsius p. 167, habet pro Agamedis fovea. In saxo supereminente Ulrichsius se legisse dicit inscriptionem hanc: *EYBOYΛΟΥ*, sed non satis verisimile est *Εὐβούλου* scriptum esse pro *Εὐβόλου* V. Franz: Elementa epigraph. graec. p. 194 sq. Leakius vero hanc: — *EYBO AC  
KOBO*

Ego nihil aliud inveni nisi *EYBO AO*, relicto inter *O* et *A* longiori spatio quam ut inde quis *EYBO[Y]AO[Y]*, efficiendum esse suspicetur. Super hac inscriptione conspiciuntur reliquiae murorum. In monte ipso praeter

rudera templorum nihil reperi mihi que non tam felici esse contigit quam  
Pueckler principi, qui ostiam oraculi se detexisse dicit. Sed inscriptio-  
nes nonnullas hic proferam. Ad dextram Hercynae ripam in monte soli  
opposito loco aprico titulum inveni. hunc

ΑΙΓΑΙΟΝ ΚΩΣΤΑΦΥΛΑ  
ΚΑΤΑΧΡΗΣΜΟΝΔΙΟΣ  
ΤΡΟΦΩΝΙΟΥ

i. e. Διονύσων (pro Διονύσου βοεοτικε) ενσταφύλα κατά χέρσομόν Διὸς Τρο-  
φωνίου. Huc pertinere videtur locus Photii Lex. v. Λασιοι τελεται: αἱ  
Διονύσου. Βοιωτοὶ γὰρ ἀλόντες ὅπε Θρακῶν καὶ Φυρύντες εἰς Τροφωνίου  
κατέδην ἐκείνον Διονύσου ἔσεσθαι βοηθὸν Θήσαντος, μεθύσοντις ἐπιθέμενοι  
τοῖς Θραξὶν ἔλυσαν ἀλλήλους, καὶ Διονύσου Λασίον ἵερὸν ἰδρύσαντο ὡς Ἡρ-  
κλείδης δὲ Ποντικός, ὡς Ἀριστοφάνης δὲ διὰ τὸ λυτρώσασθαι Θηβαίονς καὶ  
Ναξίων Ἀμπελον. Hunc neque Sponius, neque Leakius, neque Ulrichsius  
spectasse videntur. Praeterea epigramma ad Trophonii oraculum pertinens  
in lamina quadam aurea inscriptum quam possidet JACOBUS MILLINGEN vir cla-  
rissimus, hic ita adscribam ut internoscere singula potui, quam ipse possessor  
lectionem mihi Florentiae impertiret. Paullo aliter edidit G. FRANZIUS (*in*  
*Bulletino dell' instituto di corrispondenza archeologica per l' anno 1836.*  
p. 149.)

Ἐνρήσεις δὲ Λίδαο δόμων ἐπ' ἀριστερὰ κρήνην  
Πάρα δὲ ἀντῆ λευκὴν ἑστηκυῖαν κυπάρισσον.

Ταῦτης τῆς κρήνης μή δὴ σχεδὸν ἐμπελάστειας.

Ἐνρήσεις δὲ ἐτέρον τῆς Μνημοσύνης ἀπὸ λίμνης

5. Ψυχρὸν ὄδωρ προρέον. Φύλακες δὲ ἐπιπροσθεν ἔσοιν.

Εἰπεῖν. Τῆς καὶ εἰ σὺ καὶ Οὐρανοῦ δαστερβεντος,

Αὐτῷρ ἐγὼ γένος οὐδάνιον — τόδε δὲ ιστε καὶ αὐτοί! —

Διψῃ δὲ ἐμὲ αὐη καὶ ἀπόλλυμα, ἀλλὰ δότε αἴφα

Ψυχρὸν ὄδωρ προρέον τῆς Μνημοσύνης ἀπὸ λίμνης.

10. Κεῖ [μή ἀπαλλάσσοντο] καὶ εἰν θεῖς ἀπὸ [κρήνης]

Καὶ τότε ἐπειτα [σοὶ ἔστι παρ'] ἡρώεσσιν ἀνάξειν.

V. 1. ἐπ' ἀριστερὰ] Hoc quid sit elucebit ex p. 6, 10. dictis. Plane hoc  
congruit cum natura loci. Pro κρήνην Franzius λίμνην. V. 2. κυπάρισσον] Platanos vidi quem haec loca visitarem cypresses non item. V. 3. Franz μηδὲ  
σχεδὸν. V. 4. Fr. ἐτέραν. Cur λίμνη dicatur perspicitur eo quod ipsa Styx  
secundum Hesiodum est ἀπορροὴ τοῦ Ωκεανοῦ V. Hes. Theog. 789. V. 5.

*ψυχοδὸν* egregie cum iis conspirat quae diximus p. 6, 14.; *φύλακες* sunt serpentes, quibus offae obiiciebantur aut *δαιμόνες* qui *Τροφωνιάδαι* dicebantur. (Plut. de fac. in orbe Lunae 30.) V. 6. Fr. παῖς εἰσι; sed σὺ pertinet ad *Mnemosynen*. V. 8. Fr. δειψῆ δὲ εἴμι δῆ. Ex αὕτη concludas feminam fuisse quae oraculum consuluisset, nisi de *ψυχῇ* omnino intelligendum. V. 10. Fr. καῦσιν ἀπαλλάσσονται πιεῖν θεῖταις ἀπὸ [δίψης]. V. 11. Fr. καὶ τοι ἔπειτα . . . . ἡρῷεσσιν ἀνάξειν. Praeterea v. 12. Fr. vocabulum habet *φανεῖσθαι*; ego vero neque aliis versus vestigia neque huius vocabuli lineamenta recte agnoscere potui. Totum epigramma videtur oraculum pythium esse nescio cui personae datum, quae cum in ipso mortis limine esset, de statu post mortem futuro sciscitatur atque ad Trophonii oraculum a Pythia amandaretur. Hoc autem propter singularem notitiam quae inter utrumque oraculum intercedebat plus semel factum esse concludi et ex Pausania potest et ex aliis exemplis. Pausaniae locum adscribam: IX, 40, 1. τὸ δὲ μαντεῖον οἱ Βουτοὶ τοῦτο οὐ πεπνυμένοι πρότερον ἐπὶ οἰτιά τοιῷδε ἔγνωσαν. Θεωρὸς ἀφ' ἑκάστης πόλεως ἀποστέλλονται ἐς Δελφούς· οὐ γὰρ δῆ σφίσιν ἔτος δεύτερον ὅν οὐ θεός· τούτοις αἰτοῦσιν ἐπανόρθωμα τοῦ αὐτοῦ προσέταξεν ἡ Πνθία παρὰ Τροφώνιον ἐς Λεβάδειαν ἐλθόντας εὑρασθαι παρὰ ἐκείνον τὸ ίαμα. Eurip. Ion. 300 sq. Cf. Hom. hymn. Apoll. 296 sq. Quae omnia si recte sunt disputata consectarium est Jacobum Millingen virum clarissimum possidere quasi αὐτόρρραφον. oraculi delphici, quod a sacerdotibus sibi traditum propter summam Apollinis reverentiam in aurea lamina ut vere χρυσᾶ ἔση esse appareret inscribi iussit is qui deum sciscitatus erat.

De aliis inscriptionibus ab aliis Lebadiae repertis atque a Boeckhio et Leakio editis nunc non dicam. Emergendum est enim ex specu Trophonii ad lucem ipsam et sollemnia disputationis indicenda qua vir doctissimus

CAROLUS VOLCMAR STOY Pegaviensis Philosophiae doctor  
d. XXII. Februarii hor. XI. commentationem suam de *auctoritate in rebus paedagogicis Platonicae civitatis principibus tributa* conscriptam publice defensurus est. Ad hanc disputationem audiendam ea qua decet pietate et observantia invitamus.



